



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**In Canonem Sacrificii Missae, Vti & reliquas eiusdem
Partes Brevis Ac Lvcvlenta, & ad pietatem vtilis Expositio**

Veken, Frans van der

Coloniae, 1644

§ 1. Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, &c.

urn:nbn:de:hbz:466:1-9878

§. I.

*Agnus Dei, qui tollis peccata mun-
di, &c.*

CVm haetenus in Canone pre-
cationes omnes directæ fuerint ad
Patrem , iam incipiunt conuerti ad Fi-
lium : neque enim tunc primùm salu-
tandus est tantus hospes , quando iam
limen attigit aut subiuit ; sed obuiam
exeundum , ibiisque inchoanda officia.
Quod faciens Sacerdos , primâ veluti
salutatione Christum dulcissimè com-
pellat tanquam Agnum , sed rationa-
lem , non ouium , verùm Altissimi Fi-
lium, ideoque *Dei Agnum* iam pridem
à S. Præcursorē a indigitatum : eiusque
omne mundi scelus dolentis miseri-
cordiam & pacem oratione ter repe-
titâ implorat. Agni memoriam non
Præcursor tantùm , sed recens Christi
immolatio tot olim agnorum sacrifi-
cijs

a *Ioan. I.*

cijs adumbrata suggessit. Triplex repetitio aptissimè reteretur ad triplicem Agnum, aut eiusdem potius triplicem statum: ut primò salutemus Christum quasi Agnum in pueritia amabilem: deinde ut Agnum patientem in Cruce; tertio Agnum iam regnante in cœlo.

Etenim infantes ac pueros ob ætatis teneritudinem, morumq; innocentiam dici Agnos; præterquam quod diuersorum idiomatum usus fuerat, testis est Clemens Alexandrinus lib. I. Pædagogi c. 5. in quo eruditè ostendit, omnes, qui in veritate versantur, apud Deum pueros esse, etiam ipsum Dei Verbum pro nobis hominem factum, ideoq; à Præcursori dici Agnum, quoniam *Scriptura pueros ac infantes Agnos nominat*. Ad primam igitur obtestationē diuinissimi huius Agni, consideremus eum ut Agnū paruulum & delicatum, vel Beatissimæ Matris sugentem ubera, deq; eius pane comedentem, & in eius sinu dormientē, a vel

a 2. Reg. 12.

vel etiam alijs dulcissima quadam humaniate sese communicantem : ei que submississimo affectu supplicemus , ut nostri misereatur , reformando nos ad illam Agni imaginem , qua eam , quæ in pueris inest , simplicitatem atque innocentiam sectantes , ex eorum paruulorum numero simus , de quibus scriptum :
a Nisi conuersi fueritis , & efficiamini sicuti paruuli , non intrabitis in regnum cœlorum.

Christum verò in Cruce ominia tolerantem sine querela , quandam etiam induisse imaginem Agni , testis est luculentus Isaias Propheta *b* : *Oblatus est , quia ipse voluit , & non aperuit os suum : sicut ovis ad occisionem ducetur , & quasi Agnus coram tondente se obmutescet . In quem locum cum plurima , quæ Agno pariter & Christo patienti conueniant , collegerint Interpretes , summa eorum est : hoc symbolo adumbrari summam Christi in tantis cruciatibus patientiam*
& man-

a Matth. 18. b Isa. 33.

& mansuetudinem. Quas quoque virtutes poterimus humillimè à Domino postulare, iam secundò dicentes, *Miserere nobis.*

Christum denique in cœlo regnantem, describi Agni nomine & figura, patet ex Apocalypsi plurimis in locis, vbi Agnus apparet, qui sigillum aperit, qui impijs irascitur, cuius nuptiæ venerunt. Et quidem apparet *tanquam occisus* a, quod non solùm ratione Sacrificij cruenti semel oblati in Cruce; sed etiam incruenti, quod quotidie in Mis sa offertur, debere intelligi, Aureolus, Lyranus, Alcazar arbitrantur: valde aptè & conformiter ad ea, quæ de hoc Sacrificio dicebamus c. 4. sub initium. Nisi malis cum Andrea Cæsariensi dici *quasi occisum*, quod in cœlo seruet vulnerum cicatrices, insignia occisi. Nihil autem accommodatius, quam ut Agno iam triumphanti, cui, quia occisus est, data est omnis potestas in cœlo & in

ter-

a *Apocal. s.*

terra, tam nostro, quam totius Ecclesiæ
nomine supplices dicamus: *Dona nobis
pacem.*

§. II.

De tribus sequentibus Orationibus.

IN prima pergit Sacerdos instare pro Ecclesiæ pace. Nec mirum quod unâ alterâve pacis imploratione non contentus, eam toties repetat: id enim fit ob præstantiam Pacis, quæ, ut vidi-
mus c. 3. §. 2. omnia bona in se comple-
ctitur, ideoq; post Dei gloriam non hu-
ius solûmodo Sacrificij, sed ipsius etiam
Incarnationis, omniumq; præteritorū
Christi laborum ac passionū finis prin-
cipalis extitit, sicuti ex Angelorum Can-
tico, c. 5. §. 5. notabamus. Accedit quod
tantū hospitem excepturi, haud imme-
rito de eius loco solliciti sæpius simus:
teste autem Scripturâ a, factus est in pa-
ce locus eius, & alibi b, *Pacem habete, &
Deus pacis & dilectionis erit vobiscum.*

I

Se-

a *Psal. 75.* b *2. Cor. 13. 1. d. 12. 2.*